

168

no malfasetum dicimus. Et reperimus ibi uvas maturas illas  
die albas et nigras et in abundantia. Quia autem ventus bonus  
erat, dictum fuit nobis, quod in nocte recessuri essemus, ideo  
coena peracta in galéam reversi sumus et noctem in ea egimus.

Decima nona die, quae est Gervasii et Protasii, cum  
surrexissemus et recessum speraremus, vidimus quod galeotae  
eportaverunt de navi in civitatem suas merces ad forum, ad  
venditionem exponendas. Hoc viso intelleximus galeam non  
profecturam, statim et in barca ad litus reducti civitatem  
intravimus, et ad Praedicatores Missam audivimus. Post  
Missam ad hospitium nostrum transivimus et prandium bonum  
habuimus; facto autem prandio per ecclesias et monasteria  
civitatis transivimus, et reliquias deosculati sumus, de quibus  
omnibus in reditu clare dicam. Advesperascente die per  
tubarum voces revocati sumus in galéam, et cum in eam  
venissemus, cessavit ventus bonus, qui tota die flaverat, et  
mansimus per noctem sic in portu cum taedio et murmure et  
impatientia.

Vicesima die ante lucem cum magno labore eduxerunt  
galéam extra portum cretensem et per tepidum ventum delati  
sumus ad Standiam insillam. Sunt enim Candia insula et  
Standia insilla ex oppositio sitae, et stabamus in medio earum  
sine profectu. Circa meridiem autem venit ventus recens et  
bonus, et tulit nos de mari cretico in mare aegeum ad insulas  
Cycladum, in quibus serebamur hoc die et nocte sequenti.

Vicesima prima in medio Cycladum eramus, conantes  
contra Rodum insulam, quae prima et caput insularum  
Cycladum est, a parte orientali. Circa meridiem ex  
circulo Cycladum ejecti sumus in regionem, quae dicitur  
Napulia, quae regio est prima, quam Turci obsederunt. Post  
longam enim orbis evagationem (**65A**) in hanc regionem  
venientes interfictis habitatoribus ejus et oppressis ibi regnare  
cooperunt. Ex hac regione totam Asiam minorem Christianis  
ablatam sibi subjugaverunt. Igitur transacta meridie ventus  
paululum desiit ad horam: sed postea fortior a Napulia nos  
contra Rodum duxit, et celeriter ad montana Rodi ascendimus,  
contra Colossum civitatem, principalem insulae. Interea sol  
occidit noxque nos comprehendit, antequam in portum

